



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs X. De natis ex libero ventre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

libertatem, & servitutem c. final. de serv. non ordinand. & Instit. de iure personarum §. Servi autem; valet tamen etiam statutum, vel consuetudo legitime praescripta, ut patris conditionem, quoad libertatem & servitutem, sequatur proles

c. Licet 3. h. 1. quia cum res non descendat ex iure humano, potest interrogare consuetudo; quin etiam in dubio semper pro libertate, favore libertatis, iudicandum est, cum favore libertatis sit maximus c. fio. de re iudicat.

T I T V L V S X DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Natum ex libera matre, liberum esse de iure communi, modò ante dictum, quod idem dicendum est de nato ex libera. c. Indecens unico h. 1. & quamvis quoad familiam, nobilitatem, dignitatem, &c. patris conditionem sequatur filius L. Cum legitima 19. iuncta Gloss. ff. De statu hominum. cum proles à patre tanquam causa principali suum esse ha-

beat; quoad statum tamen libertatis, & servitutis, matris conditionem sequatur proles, defectum hunc patiens à causa minus principali. Sufficit autem ad proles libertatem, si mater tempore conceptionis, vel tempore natiuitatis, vel intermedio aliquo tempore, quo proles in utero ferebatur, fuit libera, exigent hunc favorem favore libertatis.

T I T V L V S XI DE COGNATIONE SPIRITUALI.

§. I.

Quid sit cognatio spiritualis, unde oriatur, & inter quas personas contrahatur?

Cognatio spiritualis est propinquitas quaedam personarum, quae ex statuto Ecclesiae oritur ex administratione, seu collatione, & susceptione Sacramenti Baptismi, & confirmationis; sicut enim per carnalem generationem homo nascitur naturaliter, & postea corporaliter reberatur; sic per baptismum regene-

ratur homo spiritualiter, & per confirmationem spiritualiter reboratur; hinc ergo generari, & reborari naturaliter & corporaliter inducit cognationem naturalem, ita regenerari & reborari spiritualiter infert cognationem spirituales perpetuam; non quidem ex iure naturali cum Sacramentorum ratio nullam in iure naturali fundamentum habeat, sed ex iure Ecclesiastico; & quamvis de antiquo iure Decretalium, triplex fuerit haec cognationis species, paternitatis scilicet, compaternitatis, & fraternitatis, hodie-